

bere rationem peccati, ut absolute fit, sed ut deficienter fit, et Deum non velle nec facere ut actus ille deficienter fiat, sed tantum ut fiat. Contra hoc enim instatur ratione jam facta, quia actum illum deficienter fieri ab homine, nihil est aliud quam fieri libere cum tali advertentia et iudicio rationis, quod in re non est recta regula; sed hoc modo Deus est prima radix, et causa (ut ipsi expresse docent) quod homo hic et nunc cum tali advertentia rationis habeat volitionem circa objectum contrarium rationi; ergo impossibile est Deum facere ut talis actus sic ab homine fiat, quin faciat ut deficienter fiat, quia hæc vel sunt prorsus idem, vel licet ratione distingui valeant, sunt prorsus inseparabilia.

13. *Alia responsio ex Augustino.* — Sed instant, quia simile argumentum objiciebat Julianus, ad probandum non dari peccatum originale, vel si datur, Deum esse causam ejus, et illud solvit Augustinus, lib. 3 contra illum, cap. 9. Idemque argumentum circa peccatum actuale ponit et solvit lib. 2 de liber. Arbitr., cap. 19 et 20, dicens, quidquid est bonitatis in actu peccati esse ex Deo, defectum autem non esse ex Deo. Eodemque modo solvit argumentum D. Thomas 1. 2, quæst. 79, art. 2, et quæst. 3 de Malo, art. 2, et in 2, distinct. 37, quæst. 2, art. 2.

14. *Rejicitur.* — Respondemus vel objectionem hæreticorum non processisse ex eisdem principiis, vel non fuisse recte applicatam. Nam optime fieri potest ut idem argumentum male objiciatur contra doctrinam fidei, et ideo facile solvatur, optime tamen inducatur contra falsam doctrinam, et ideo non possit illi eadem solutio argumenti accommodari. Quod in hac eadem materia sæpe accidisse, in libro 5 tractando de auxilio efficaci videbimus. Ita ergo in præsentī dicimus non recte dictos Patres allegari, quod breviter ostendo. Nam Julianus, ex eo quod Deus facit humana corpora sexibus distincta, cum aliis ad generationem necessariis, inferebat, si homo in peccato concipitur, auctorem illius peccati esse Deum; quæ illatio facile negatur ab Augustino, quia malum illud, quod invenitur in prole concepta, non fructus (inquit) corporum, sexuum, conjunctionum, sed originalis, veterisque peccati; et iterum infra: *Malum cum quo nascitur homo non est fructus corporum, etc., quorum bonorum auctor est Deus, sed primæ prævaricationis, cujus auctor est diabolus.*

15. *Continuatur confutatio, et quomodo parentes non sunt causa peccati originalis in*

prole, et Deus prædeterminans ad actum malum sit causa peccati. — Non ergo est similis illatio, quia peccatum originale non sequitur intrinsece (ut sic dicam) et causaliter ex generatione naturali, sed conjungitur illi ex alio influxu morali prioris peccati Adæ in prolem, seminali ratione ab ipso conceptam: neque enim fieri posset ullo modo ut homo in originali peccato conciperetur, nisi actuale in parente præcessisset. At vero malitia actualis peccati sequitur intrinsece et causaliter ex actu ipso positivo, cum tali advertentia, et circa talem materiam libere elicitō, et ideo vere est homo causa talis malitiæ, ex vi necessariæ consecutionis, licet physice non efficiat nisi actum ipsum materiale. Parens autem proximus non est causa peccati originalis prolis, etiamsi totum effectum positivum naturæ physice efficiat. Et ob eandem causam, licet darem Deum determinare voluntatem parentum ad generationem prolis, et facere ut illam faciant, nihilominus non esset causa originalis peccati, quia hoc malum omnino accidentarium est naturali generationi, et ab extrinseco malo morali venit, non ab ipsa generatione. Secus vero esset si Deus prædeterminaret voluntatem liberam ad actum quem sine peccato ab ipsamet hominis voluntate proveniente facere non posset, nam in hoc opere ipse actus hominis est vera causa malitiæ; et ideo qui ipsi homini esset auctor et radix, imo et efficax motor determinans ad talem actum, excusari etiam non posset quin esset auctor malitiæ, quæ ex illo intrinsece sequitur. Quod discrimen ex alio genere causalitatis evidentius explicatur: nam si quis consulat et procuret ut homo generet hominem ex legitimo matrimonio, non censetur causa peccati originalis prolis, et ideo Deus ipse potest id consulere, vel præcipere. At vero si quis consulat homini ut talem actum liberum hic et nunc in hac materia faciat, qui sine malitia ab eo, cui datur consilium, fieri non potest, censebitur causa ipsius malitiæ et peccati: et ideo non potest Deus illo modo præmovere hominem ad actum positivum peccati. Est ergo evidens differentia inter peccatum originale et actuale. Unde obiter novum argumentum nobis resultat, quod post completam responsionem hujus instantiæ proponemus.

16. *Explicatur Augustinus.* — In altero itaque loco Augustinus de actu peccati tractat, et non solvit objectionem hæreticorum, sed quoniam dixerat hominem peccare cum voluntarie se avertit ab incommutabili bono,

et ad commutabile se convertit, quærit, *cum voluntas faciat hoc motu suo, unde iste motus existat: si enim motus iste, id est, adversio voluntatis a Deo, sine dubio peccatum est, num possumus auctorem peccati Deum dicere? Non erit ergo iste motus ex Deo; unde igitur erit?* Et in summa respondet motum illum aversionis, quod fatemur esse peccatum, ad Deum non pertinere, licet actus ipse, quatenus aliquid entis est, seu formæ inchoatio, aliquid boni sit, ac proinde sit ex Deo. Ex qua responsione, solum habetur posse Deum efficere actum materiale peccati, non causando peccatum, quod verissimum est; non tamen habetur posse Deum prædeterminare voluntatem humanam ad actum qui sine malitia fieri non potest, et non esse auctorem et causam peccati. Nam illa duo valde diversa sunt, et multo major est influentia prædeterminans et cooperans simul, quam solum cooperans.

17. *Confirmatur ex aliis Augustini verbis.* — Unde idem Augustinus, quia eo loco brevibus et generalibus verbis questionem expedierat, statim in libro tertio eam exactius declarare aggreditur, et totam rationem ob quam voluntas hominis est causa peccati, et non voluntas Dei, in eo ponit quod antea in l. 4, c. 11, dixerat, et supra a me allegatum est: *Quia nulla re fit mens serva libidinis, nisi propria voluntate, quia nec superiori, nec equali voluntas potest ad hoc dedecus cogi;* quod in rigore nostro scholastico positum non est, ut significat propriam violentiam contra internum appetitum, sed ut significat necessitatem vel motionem ab extrinseco proveniente, cui resisti non possit. Unde paulo antea dixerat Augustinus, si natura, vel necessitate existeret talis motus, non fore culpabilem; ubi naturæ nomine indicat necessitatem ab intrinseco; nomine autem necessitatis illam quæ est ab extrinseco. Utramque ergo ab hoc motu excludit, unde concludit: *Restat igitur ut ejus sit proprius iste motus, quo fruendi voluntatem ad creaturam a creatore convertit:* et infra: *Præterea, quid opus est quærere unde iste motus existat, quæ voluntas avertitur ab incommutabili bono ad commutabile bonum, cum eum non nisi animi, et voluntarium (id est, liberum), et propter hoc culpabilem esse fateamur?* In quo discursu, adjunctis verbis supra allegatis ex libro 4, c. 11, satis profecto indicatur sensisse Augustinum, ideo non esse Deum causam peccati hominis, quia licet faciat motum illum quo homo peccat, concurrente cum homine, non tamen fa-

ciendo ut homo illum faciat aut velit, nec illum movendo, sed sinendo ut se moveat, offerendo illi concursum, quatenus ratio et munus causæ primæ id postulat.

18. *Cur Deus non sit peccati causa.* — Tantum ergo abest ut ex illa responsione Augustini ratio a nobis facta enervetur, ut roboretur potius et confirmetur. Nam revera potissima ratio, et fortasse unica, cur Deus, concurrente ad totum materiale peccati, nullo modo causat formale, est quia ad illum actum, cui conjuncta est malitia, non impellit ullo modo humanam voluntatem, sed sinit illam se determinare, et ex parte sua solum offert concursum modo quodam de se indifferente ex generali lege non subtrahendi causis secundis cooperationem necessariam, et suis naturalibus facultatibus consentaneam. Nam quia liberum arbitrium duplicis determinationis est capax, in bonum, scilicet, et in malum, licet Deus ex se bonam ejus determinationem cupiat, nihilominus neutram dare voluit, generaliter loquendo, ne usum naturalis libertatis impediret, ac propterea voluntati commisit ut in quam vellet partem se determinaret, et ad utramque determinationem concursum sufficientem obtulit; ideoque, licet determinatio ad objectum prohibitum non fiat sine concursu Dei, radix tamen ejus et propria origo est voluntas creata, et ideo ipsa est causa illius mali quod ex tali actu sequitur, non Deus. Et ideo etiam Deus propriissime dicitur illam malitiam permittere, quia illam non intendit, neque aliquid ex quo illa necessario sequatur, sed solum sinit voluntatem, ut ipsa se quo voluerit determinet, neutram partem impediendo efficaciter, et hoc est propriissime permittere. At vero si Deus esset prima radix, et causa faciens voluntatem determinari ad objectum cui est vel intrinsece, vel hic et nunc inseparabiliter conjuncta malitia, illi esset attribuendus lapsus tanquam impellenti in illum, et non posset dici solum permittere illum, sed potius facere: neque haberet excusationem ullam, quia non ex vi generalis necessitatis causæ primæ, sed ex sua tantum voluntate determinaret suum concursum ad hanc partem potius quam ad illam: quod non ita est in concursu concomitante, quem negare non debet, neque impedire quominus in particulari talis sit qualis per liberi arbitrii concomitantiam fuerit determinatus. Nec aliter hanc rem explicare potuerunt antiqui Theologi, Bonaventura, Scotus, Gabriel, et alii cap. 19 allegati, nec D. Thomas aliter eam-

dem difficultatem resolvit, ut mox videbimus.

19. *Septimum absurdum: Deus consulendo peccatum esset ejus causa; ergo multo magis voluntatem ad illud efficaciter movendo.*—Septima ratio, quæ (ut supra dixi) ex præcedenti resultat, et eam confirmat, est, quia si Deus ex parte rationis moveret voluntatem ad objectum peccati, consulendo illud, vel considerationem ejus excitando aut augendo, quamvis non consuleret malitiam directe, esset nihilominus simpliciter causa peccati, et ideo repugnat bonitati Dei ita movere ad actum peccati, etiam pro materiali; ergo multo magis erit Deus causa peccati, si efficaciter voluntatem impellat in talem actum, quem sine peccato facere non potest, magisque hoc bonitati Dei repugnat. Respondebunt fortasse diversitatem aliquam rationis excogitando. Nam si Deus suadendo induceret ad actum peccati, esset causa moralis ejus, et ideo esset causa malitiæ moralis, quia effectus unius generis in causam ejusdem generis reducit: at vero cum movet prædeterminando potentiam, operatur ut causa physica, et ideo est causa entitatis physicae, non malitiæ moralis. Sed hæc suasio facile refellitur, quia causa denominatur moralis, vel ex modo operandi ex parte sua, scilicet, libere, vel ex modo influendi in effectum, quia non est directe et per se illi dando esse, sed inducendo vel inclinando causam priori modo moralem ad effectum. Prior causa, licet sit moralis, simul potest esse physica, sicut voluntas ipsa est causa moralis et physica sui actus liberi; hoc autem modo, Deus est etiam causa moralis, quia libere agit; imo jam probavi quod, si prædeterminat ad actum peccati hominis voluntatem summa efficacia, pro sola sua libertate id facit; ergo licet physice etiam determinet, erit causa moralis et physica: ergo erit multo magis causa peccati, quam si solum consuleret peccatum: sicut voluntas consentiens tentationi dæmonis magis est causa sui peccati, quam dæmon, licet ipsa sit causa physica sui actus realis, et dæmon tantum sit causa moralis. Unde posterior modus causæ moralis, licet sufficiat ad aliquem modum causandi peccatum, non est simpliciter necessarius, quia si cælum, verbi gratia, per impossibile determinaret voluntatem ad actum peccati per suum influxum, esset causa peccati, licet non moralis, sed physica; et habitus vitii potest dici causa peccati, licet non influat in actum modo morali, sed physico, et quia suo pondere inclinatur voluntatem ad actum positivum peccati; Deus

autem si inclinaret voluntatem ad actum peccati, speciali modo excitando passionem in appetitu, diceretur causa peccati, quia illo modo induceret hominem ad peccatum, etiam si passionem illam physice causaret. Denique minus influit in actum causa moralis, quam physica; ergo si moralis causalitas sufficit ut aliquis dicatur causa peccati, a fortiori per motionem physicam erit causa peccati, quamvis, ut dicatur causa moralis, necessarium sit ut illam motionem physicam moraliter, id est, libere tribuat, quod etiam in Deo invenitur, ut dixi.

20. *Octavum absurdum: Deus esset causa non modo physica, sed etiam moralis peccati.*—Unde sumi potest octava ratio, quia si Deus præmovet, applicat et efficaciter determinat voluntatem hominis ad actum qui peccaminose fit, nec aliter hic et nunc fieri potest, sequitur non solum esse causam physicam, sed etiam moralem: consequens multo magis falsum est; ergo. Probat sequela, quia Deus est non tantum causa physica illius actus ad quem prædeterminat, et ipsiusmet prædeterminationis, sed etiam est causa moralis utriusque; ergo est etiam causa moralis peccati. Probat consequentia, quia dæmon tentans, et homo male consulens, non alia ratione est causa peccati, nisi quia est moralis causa inducens hominem ad illum actum: nam ad malitiam ipsam in se et directe non inducit, sed solum quatenus ad actum consequitur; ergo si Deus est causa moralis non solum inducens, sed etiam impellens efficacissime, est profecto causa moralis peccati. Quod autem Deus in illa actione sit causa moralis ex parte suæ libertatis, manifestum est, nam Deus libere movet et determinat voluntatem. Deinde quoad modum causalitatis seu influxus in voluntatem, probatur, quia præter influxum physicum habet etiam moralem, quia Deus non tantum prædeterminat voluntatem immediate ad concursum, juxta illam sententiam, sed etiam prædeterminat intellectum ad cogitandum de tali objecto, et ad tale iudicium de illo ferendum. Et quando objectum illud per alias causas secundas applicandum est, illas etiam ad illam applicationem prædeterminat, ac tandem etiam prædeterminat intellectum ad tale iudicium de tali objecto ferendum; ergo mediante tali cogitatione et iudicio, est causa moralis inducens voluntatem ad talem consensum: non enim dæmon vel malus homo alia ratione est causa moralis similis consensus, nisi quia medio aliquo objecto vel consilio moraliter movet voluntatem.

21. *Confirmatur hæc ratio.*—Accedit quod si Deus, per deliberationem sufficientem ad consensum, determinat voluntatem ad illum, etiam ante perfectam deliberationem, existente in intellectu imperfecta cogitatione, determinabit voluntatem et appetitum ad indeliberatos motus concupiscentiæ, et affectiones inclinantes ad consensum; ergo hac etiam ratione erit causa moralis talis consensus: nam hic etiam modus causandi, quo appetitus inferior excitat superiorem, et affectio indeliberata ad deliberatum consensum inducit, moralis est, ut in superioribus in excitante gratia est declaratum: eadem enim est proportio in cæteris actibus. Sicut ergo Deus est causa moralis actuum perfectorum gratiæ, excitando voluntatem, non solum medio intellectu, sed etiam per antecedentes affectiones ejus bonas, ita erit causa moralis illius consensus realis quo peccatur, inclinando voluntatem, tam per intellectum, quam per prævios motus ejusdem voluntatis; nihil ergo deerit ut absolute et simpliciter sit causa peccati. Potest autem quis objicere hoc argumentum eodem modo procedere contra concursum simultaneum Dei, quia per illum etiam efficit cogitationem et iudicium intellectus, et omnes prævios motus concupiscentiæ. Respondemus autem esse longe diversam rationem, supponendo quod Deus nullam causam præmoveat ad actionem suam, quia tunc solum ad modum causæ naturalis cum singulis concurrat, non vero moraliter inducit, ut in sequenti ratione amplius explicabo.

22. *Nonnum absurdum: Deus voluntate directa prædeterminabit ad peccatum, quod ejus bonitati repugnat.*—Nono, confirmantur rationes tactæ: nam sequitur Deum, ex intentione directa qua ex se decrevit ut voluntas hominis habeat talem actum, quem scit sine peccato ejusdem hominis fieri non posse, prædeterminare hominem ad illum actum: hoc autem repugnare videtur divinæ bonitati et sapientiæ; ergo et prædeterminatio illa. Sequela probatur, quia qui ponunt Deum efficere in voluntatem hominis illam prædeterminationem, consequenter dicunt illam supponere in Deo voluntatem absolutam et efficacem, qua vult ut homo hic et nunc, et circa tale objectum, habeat talem consensum, et ab illa voluntate dicunt procedere prædeterminationem ad extra: illa autem voluntas Dei est efficax intentio talis effectus; ergo ex intentione absoluta ejusdem effectus, et propter illum, dat Deus illam prædeterminationem. Atque

ita videntur plane confiteri auctores contrariæ sententiæ. Dicent tamen non repugnare divinæ bonitati, quia Deus non intendit malitiam illius actus, sed actum ipsum, qui naturaliter bonus est.

23. *Rejicitur responsio adversariorum.*—Nihilominus tamen hoc non evacuat difficultatem. Primo, quia non solum est contra prudentiam et integram bonitatem intendere malitiam actus, quod vix Dæmones faciunt; sed etiam intendere ex se, ex propria tantum voluntate, actum alterius, a quo in illo malitia est inseparabilis; nam ex objecto ipso et ex terminis apparet in tali intentione quædam indecentia, et improprio cum summa prudentia et purissima bonitate. Deinde, quia homo provocans alium ad cooperandum peccato suo, non intendit ut ille cooperetur ad malitiam, sed solum ad entitatem operis sibi utilis, vel delectabilis; tamen quia illi cooperationi positivæ necessario est conjuncta malitia, ideo illam intendere contra prudentiam et bonitatem est; ergo multo magis repugnat bonitati divinæ similis intentio. Nec refert si dicas homini esse prohibitum inducere alterum ad sibi cooperandum in actu peccati, et ideo in eo peccare, Deum autem non peccare. Jam enim dixi nunc non tractari an Deus peccet, necne, sed an illa sit intentio virtualis malitiæ, propter quam repugnet Deo, et quoad hoc videtur concludere exemplum a paritate rationis. Accedit quod in homine id non est malum, quia prohibitum: quod autem tale est, etiam repugnat Deo, non propter prohibitionem, sed propter intrinsecam bonitatem ejus, sicut est mentiri, et similia. Nam certe non videtur minus aliena a divina bonitate talis intentio, quam mendacium; quam proportionem in sequenti ratione amplius explicabo.

24. *Confirmatur.*—*Ledesmæ doctrina insolita, Deo prædeterminationem moralem ad peccatum tribuens.*—Denique si Deus efficaciter intendit ut homo habeat talem actum, certe ex vi illius intentionis efficit in illo talem cogitationem; imo et procurat ut illa sit apta et congrua ad illum consensum obtinendum; ergo inducit ad illum actum, ut propriissima causa moralis, quia et moraliter operatur ex intentione talis finis, et ex eadem intentione applicat media quæ moraliter possint hominem movere, et inducere ad talem actum; est ergo causa moralis talis actus cum omni proprietate. Verumtamen non deest auctor qui non solum hoc concedat, sed etiam doceat

Deum prædeterminare moraliter voluntatem hominis ad consensum, cui necessario est conjuncta malitia. Ledesma enim, art. 13, conclus. 4 et 5, licet certissimum esse dicat, Deum non prædeterminare moraliter voluntatem hominis ad actum, qui est peccatum, consulendo vel præcipiendo illum, nihilominus addit esse certum Deum prædeterminare moraliter et morali modo voluntatem hominis ad actum peccati, quoad substantiam ejus, æque et ad actum virtutis, tum prædeterminando immediate voluntatem modo accommodato suæ naturæ, tum per cogitationem proponendo voluntati objectum secundum quamdam rationem boni et convenientis; fateturque hoc sequi ex illa sententia physicæ prædeterminationis.

25. *Confirmatur.*—At hoc ipsum nobis sufficere videtur ad evitandam et fugiendam illam sententiam. Unde non invenio alium sectatorem illius assertionis de physicæ prædeterminatione, qui ausus fuerit etiam prædeterminationem moralem ad actum peccati Deo tribuere. Et licet forte Ledesma magis consequenter vim illationis viderit, nimium tamen videtur excedere admittendo tale consequens, quia non apparet qua ratione negari consequenter possit Deum esse causam moralem peccati, quia quod non intendat directe malitiam, non est sufficiens ratio, ut sæpe probatum est: in reliquis autem habet omnia quæ in quacumque causa peccati, extra ipsummet hominem peccantem, inveniri aut desiderari possint; sed ait Deum, ex parte intellectus, solum tribuere id quod necessarium est ad determinandam moraliter voluntatem, ut libere eliciat talem actum; ultra hoc vero non addere quidpiam aliud quo voluntatem alliciat ad talem actum, vel illum consulat. Et hoc satis esse putat ut Deus non causet peccatum; sed hoc improbatum efficaciter. Primo, quia ad absolutam rationem causæ non est necesse ut faciat superabundanti aut excedenti motione (ut sic dicam), sed est quod faciat sufficienti et efficaci, et hoc conceditur Deo respectu peccati, tam in genere causæ physicæ, quam moralis; ergo in utroque genere est causa peccati. Secundo, quia inde optime demonstratur, ut Deus sit causa peccati, non esse necessarium ut intendat malitiam; nam si consuleret vel speciali modo alliceret ad illum actum, esset causa peccati, etiamsi malitiam non directe intenderet; ergo ut sit causa peccati, non est necessaria illa directa intentio; ergo si inducit sufficienter et efficaciter

ad actum habentem intrinsece annexam malitiam, licet illam non intendat, neque extraordinariam motionem præbeat, illa sufficet ut sit vera causa moralis et physica peccati.

26. Præterea ad idem argumentor, quia illud judicium, quod sufficit et necessario præcedere debet, ut voluntas peccet, est quoddam consilium, vel potius supponit illud, et est quasi consummatio consilii, juxta doctrinam generalem de actibus humanis; ergo si Deus ita præmovet, et prædeterminat intellectum ad illam cogitationem et consultationem, ut tandem perveniat ad tale judicium, ideo dicitur determinare voluntatem moraliter; eadem ratione dicendus est movere consulendo, quia illud consilium totum ex prædeterminatione Dei est, et ideo illi tribuendum est; est ergo Deus causa moralis illius actus, consulendo illum; ergo est, in eodem genere morali, causa peccati: nam si consuleret vehementiori aut specialiori modo, licet id faceret intendendo solum actum sine intentione malitiæ, esset nihilominus causa malitiæ peccati; ergo etiam consulendo quantum sufficit et efficax est ad prædeterminandum moraliter, erit causa malitiæ.

27. *Ledesmæ responsio.*— Videtur autem dictus auctor tacite ad hoc respondere quadam mirabili doctrina, videlicet judicium quod præcedit actum peccati, licet in se sit unum, habere duplicem rationem, unam, secundum quam judicat, verbi gratia, actum dicendi falsum, hic et nunc esse convenientem et utilem, ac proinde sub aliqua ratione bonum; aliam, secundum quam judicat esse malum contra rectam rationem; et sub priori ratione dicit judicium illud esse a Deo, non autem sub posteriori ratione: *Quia Deus* (ait) *non producit illud judicium, quatenus dicitur de ipso peccato ut sic*, quia tale judicium est peccatum, et hac ratione videtur concludere Deum non esse causam moralem peccati, licet sit causa moralis ipsius actus, qui est peccatum.

28. *Confutatur.*— Sed doctrina illa neque evacuat difficultatem, nam vel est sermo de judicio intellectus, ut ordine naturæ antecedit consensum liberum voluntatis, vel ut subsequitur. Priori modo, nulla ratione considerari potest sub qua non producat a Deo; tum quia sub nulla ratione potest esse peccatum, cum sit ante liberum consensum voluntatis; tum quia judicium de actu peccati, ut malum est et contra rationem, id est, quo judicatur tale esse, verum est; ergo simpliciter bonum, et a Deo; imo etiam per se potest esse

intentum, et datum a Deo sub illa ratione potius quam sub alia, quia sub illa magis avertit voluntatem ab effectu, quam invitet illam. Judicium autem de actu peccati, quod sit delectabilis, vel alia inferiori ratione conveniens, licet sit verum, et fiat concurrente Deo, cum de se magis inclinet ad peccatum, seu actum peccati, non est sub ea ratione ab eo intentum, sed permissum. Judicium vero practicum, quod potest esse de actu peccati exercendo, vel per consensum amplectendo, licet, in quantum præfert bonum commutabile incommutabili, sit falsum, nihilominus a Deo producit per concursum generalem, quia habitudo talis judicii ad tale objectum quid reale est, et ideo non potest esse sine efficacia Dei; ergo nullum est judicium de actu peccati, quod non producat a Deo; ergo evanescit illa distinctio; ergo si Deus prædeterminat homini, vel procurat hæc duo posteriora judicia, ut hominem ad materialem consensum circa materiam peccati inducant, non videtur posse negari, quin ad peccatum moraliter inducat, sitque vera causa ejus, quod nec conceditur, nec concedi potest.

29. *Alteræ responsio, et evasio rejicitur.*— Hic autem iterum occurrit evasio, quia simile argumentum fieri potest, licet demus Deum concurrere ad substantiam actus peccati per solum concursum simultaneum, quia, hoc non obstante, semper præcedit judicium intellectus, quo voluntas moraliter movetur et inducitur, et Deus efficit illud judicium; ergo per illud dicitur inducere moraliter voluntatem ad actum peccati, ac proinde esse causam moralem peccati. Respondemus esse longe dissimilem rationem; nam e medio sublata prædeterminatione physica, etiam ipsum judicium fit a Deo physice solum per concursum concomitantem, qui concursus non datur ex peculiari et efficaci intentione inducendi voluntatem in talem consensum (in quo nos ponimus deformitatem causalitatis moralis, quæ ex contraria sententia sequitur), sed datur ex generali intentione concurrendi cum causis secundis, juxta exigentiam earum. Unde determinatio ad tale judicium non est primario ex Deo, sed ex concursu causarum secundarum, et ideo non potest dici Deus moraliter influere in tale judicium, sed physice, licet illummet influxum libere ac subinde moraliter quoad modum agendi ex parte Dei tribuat. Aliunde vero licet judicium illud semel factum, et existens in intellectu, moraliter inducat hominem, nihilominus illa inductio ut mo-

ralis non tribuetur Deo, quia neque est a Deo intenta, neque fit per novam actionem, sed pes solam metaphoricam motionem, et quasi per formalem cognitionem quam præbet ipsum judicium, ideoque nullo modo potest tribui Deo, ut moraliter moventi, seu inducenti voluntatem.

30. *Confirmatur doctrina allata.*— Nec enim necesse est ut omnis effectus formæ efficienter a Deo productæ refundatur in Deum in eodem genere causæ: nam licet forma det formaliter suum effectum, Deus non dat formaliter, sed effective; sic ergo licet illud judicium moraliter seu metaphorice moveat voluntatem, Deus non movet illam, moraliter inducendo illam, quia nec Deus illam inductionem intendit, neque ad illam aliquid ex parte sua adhibet præter physicum concursum ad entitatem ipsius judicii. Longe autem diversa ratio est, si omnes hi actus ex prædeterminatione et primaria Dei intentione fiant; sic enim Deus præordinat, et quasi utitur intellectu et ejus judicio ad inducendam moraliter voluntatem in talem actum, per quam intentionem et ordinationem, motionem illam moralem suam facit, atque ita ipse est prima causa moralis et efficacissima illius actus. Item, quia consequenter dicendum erit Deum observare occasiones, et disponere causas excitantes talem cogitationem, tali modo et opportunitate, ut effectum illum consequantur. Et licet de solo actu materiali admittatur, est satis magnum absurdum et indignum divina bonitate, quod suo solo arbitrio, et providentia physica et morali procuraverit Deus, ut essent in humano genere infiniti pene actus a quibus est inseparabilis malitia, præterquam quod, illo posito, vitari non potest, quin Deus sit causa moralis peccati et ipsius malitiæ, ut satis probatum est.

CAPUT XLVII.

SENTENTIA SUPERIORIS CAPITIS EX SCRIPTURA ET CONCILIIIS COLLIGITUR.

1. *Deum non determinare ad actum peccati ostenditur ex Scriptura.*— Ex his rationibus, quibus veritatem nostræ sententiæ ejusque pietatem ostendimus, colligimus ulterius quam sit contraria sententia aliena a modo quo Scriptura loquitur de affectu Dei erga peccatum, et eos qui illud committunt. Nam de peccato dicit Sap. 14: *Odio Deo sunt impius et impietas ejus.* Respondebunt hoc dictum